


Exercitatio Theologica Sexta, De Luce Increata Et Creata

Tubingae: Reisius, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872463303>

Druck Freier  Zugang





78.



Fa - 1092(78) (SON)

Tomo Soc. LXXXVII. habent

1. Isaac Faustig de Epistola Jacobi sententia Veterū.
2. ——— ad locum Jacobi V, 14. 15. p sent. Lutheri prior.
3. ——— ——— ——— ——— ——— Posterior.
4. ——— ——— ——— ——— ——— Tertia.
- 5-13. Jo. Adami Osiandri Disputationes IX. de luce increata et creata.
- 14-18. Michaelis Muller Disputationes V. de Invocatione s. s.
19. Wilhelmus Zeschig de Theologia principio cognoscendi.
20. Georgius Hennig Haerberling de Benivolentia Dei generali et speciali.
21. Fndencus Gerschorig de Passione et morte Jesu Christi.
22. ——— Haerberlinus de Baptismo.
23. Jo. Adamus Scherzerus de fide baptisatorum infra ^{tum}
24. Antonius Reiserus de Sacram. Baptismi.
25. ——— Haerberlinus de Justificatione.
26. ——— J. A. Osiander de Justificatione
27. ——— ——— de fide justificante.
28. Mich. Muller de Imputatione justificationis.
29. Jo. Fndencus Olearius de Renovatione.
30. Jo. Meisnerus de oratione spiritus. in habitatione.
31. Jo. Osiander de Calesia.
32. Geom Hennig Keller de Ecclesia infantum.
33. Jo. Lud. Hartmannus de Elenchomorali.
34. ——— Jo. Ad. Osiander de Invisibilibus.
35. ——— ——— de Miraculis.
36. ——— ——— de Jure Patronatus Episcopatus etc.

37. Geom. Henricus Keller de Magistratu Pol.
 38. Königsmg. Hirkander. Satyra in Bökelmanni Dissert.
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-
 minis Episcopo Spalatensi.
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis. Indicii Syncretismi
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.
 44. Brevi Aphoriz. Risus. Unschuldig. min.
 Briefe. Luffen.
 45. Melchioris Corneci Aristoteles redire vo R. Cathol.
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.
 ad Orat. inaug. O. Luhn.
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practiciis.
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Meliarmo
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Prae.
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii
 Tridentini

J. S.

EXERCITATIO THEOLOGICA
SEXTA,

De

LUCE INCREA-
TA ET CREATA,

Quam

DUCE DEO,

Præside

Viro Reverendissimo,

Dn. JOH. ADAMO OSIANDRO,

SS. Th. D. Consummatissimo, ejusdemque P. P.

Primario Celeberrimo, Universitatis Cancellario

Eminentissimo, Ecclesie Præposito Dig-
nissimo;

*Fautore, Evergeta, & in Christo Patre sub-
misse venerando, suspiciendo,*

Publico Eruditorum conflictui subjiciet

M. LEONHARDUS Schlegel / SS. Th. Stud.

Dettelsavia Francus.

Ad Diem & Octobr.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO M DC LXXXIII.

87,7.

V I R I S

Præ-Clarissimis, & Excellentissimis

DN. M. MARTINO CLEMENTI COELE-
RO, Ecclesiæ Heilsbronnensis Præposito Vi-
gilantissimo, SS. Theol. & Hebraicæ Linguæ
PP. Celeberrimo in Illustri Gymnasio ibid. &c.

DN. M. JOHANNI FRIDERICO KREBSIO,
Rectori Illustris Gymnasii Heilsbronnensis
Gravissimo, &c.

DN. M. JOHANNI Stübner / Illustris Gymna-
sii Heilsbronnensis Con- Rectori Meritissi-
mo, &c.

*Dominis suis olim Præceptoribus, nunc ve-
rò Mæcenatibus & Patronis ætatem colendis*

Hasce primitias Theologicas

*In signum debitæ Gratitude, ulteriorem sui
studiorumq. commendationem, & sinceri affectus con-
ceptiq. amoris confirmationem*

confecrat

RESPONDENS.

EXERCITATIO THEOLOGICA
SEXTA

De

LUCE INCREATA
ET CREATA.

Th. CV.

EXaminandum superest, quod Schlichtingius de Chara-
ctere posuit. Illud saniozem sapit Mentem quam quæ
in Enjedino, quod vocem *αὐτῆς* referat ad DEUM, cum
ille ad Splendorem scribens: Filium appellari splendo-
rem Gloriæ per Ebraismum, id est, gloriosum, sicut Filium per-
ditionis, id est, perditum: Et characterem *ἁγιότητος* ejus, non
DEI, sed splendoris, ut ostendatur ipsissima Substantia splendo-
ris, seu totum id quod Splendor dici, concipi & esse potest, in-
esse Christo, ita, ut nihil cogitari, & fingi possit splendidius ipso
Christo, ut si dicamus Aristotelem animam fuisse Philosophiæ
quâdam Hyperbole. Interim ipsa Exegesis non est ad Mentem
Spiritus S. & ludit Schlichtingius Verbis, quæ textui superindu-
cit. Nam primò dicit idem aliis exprimere voluisse Authorem, a-
deò que plus non significari, quam appellatione Splendoris gratiæ,
veram similitudinem cum DEO præ se ferentis. Secundo dicit
Characterem esse formam ab aliquo Archetypo impressam. DEUM
vel hypostasim DEI esse *ἀρχέτυπον*, Christum esse Characterem il-
lius vel *ἔκτυπον*. DEUM illi suam Formam veluti impressisse, sicut
nobis ipsum DEUM referret. Negat itaque ad *ἀρχέτυπον* perti-
nere Filium essentialiter, dicit ipsum esse *ἔκτυπον*, diversum & mi-
norem Patre, vult tantum formam accidentalem esse impressam
sic ut DEUM referret. Tertiò allegat in subsidium locum Joh.
14. v. 9. ubi ipse Christus dicat. Qui me videt, videt & Patrem
meum: Propterea quod & Verba DEI loqueretur & opera ederet.
Quasi non Unitas Naturæ, sed Harmonia Doctrinæ tantum fuisset
intenta à Christo. Videatur Comentariv Ludovici Wolzogenii in
hunc locum, qui ita: *Ex his verbis Christi, Qui videt me, videt*
R Patrem.

24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
3

Patrem, vulgo probari solet, Christum esse eundem illum DEUM Altissimum, qui Pater est, id est, unam eandemque naturam divinam utriusque esse. Sed quia res aliqua diversimode cognosci potest, vel quoad essentiam, vel quoad externam figuram, vel quoad certas qualitates, ac proprietates, quae rem illam ab aliis distinguit: quomodo, queso, hinc probari potest, Christum hic de cognitione essentiae suae patrisque sui loqui? Cum Christus supra diceret *¶* 7. Si me noveritis, noveritis & Patrem meum: *¶* 8. rursus hoc *¶* 9. ad Philippum: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me? indicavit, discipulos suos hactenus neque se, neque Patrem suum penitus exacte cognovisse. Quomodo autem discipuli Christi tam longo tempore cum eo conversati ignorassent, eum esse DEUM Altissimum, eum esse secundam personam Trinitatis, quae de caelo descenderit in uterum Mariae Virginis, eumque secundum divinam naturam habere eandem cum Patre essentiam? An ipsis id Christus nunquam indicavit, & rem istam, qua nihil magis scita est necessarium, eos celavit? Nulla enim id alia ratione scire poterunt, quam vel divina revelatione, vel Christi ipsius institutione. Atqui adversarii volunt, Petri sanctissimam confessionem, quam omnium Apostolorum nomine edidit: Tu es Christus, Filius DEI viventis, Matth. 16. *¶* 16. hoc sibi velle, quod Christus sit Filius ille DEI, qui ex essentia DEI ab eterno sit genitus. Cur ergo Christus hic dicit, eos se non nosse? Quomodo etiam discipuli Patrem, quantum ipsorum intererat scire de eius essentia, ignorassent? An illi nescivissent, DEUM Israelis, qui eos ex Aegypto eduxit, Legemque per Moysen tradidit, DEUM esse Altissimum? Nam ex adversariorum sententia sensus verborum Christi talis foret: si noveritis me, quod sit DEUS Altissimus. Quare perspicuum est, Christum hic non de cognitione essentiae agere, quia discipuli tantum ad minimum Patrem ejus quoad essentiam norant, quantum Christus ab eis jure postulare poterat. Secundo extra omnem controversiam est, Patrem esse aliam personam, quam est Filius: quomodo igitur ex his verbis (etiamsi concederetur, de cognitione essentiae utriusque sermonem esse) probari potest, Christum esse unius ejusdemque essentiae cum Patre? Quid enim usitatus est, quam ut de duabus distinctis personis, quae sibi sunt similes vel

vel forma, vel moribus, vel animo atque ingenio, dicatur: Qui hunc novit, novit & alterum? Quando filius aliquis similis est patri suo, dici solet vulgo: Hic est alter pater. Quis vero inde concludat, hunc cum patre suo eandem numero essentiam habere? Tertio ex hac sententia sequeretur, Christum esse Patrem. Nam si ex eo, quod qui Christum videt, & novit, is etiam Patrem videat ac norit, colligendum est, Christum eundem esse, qui Pater, necessarium utiq; est, Christum esse Patrem, quod ne adversarii quidem concesserint. Quarto cognoscere aliquem nunquam significat essentiam alicujus cognoscere, aut aliquem secundum naturam & essentiam ejus cognoscere; sed semper aliquid aliud cognosci hac locutione significatur, nempe ejus figura, mores, virtutes, vitia, vel alia adjuncta. Qui videt me, videt Patrem, ea ne adversarii quidem dixerint de corporali visione intelligenda esse. Qui enim Christum corporeis oculis vidit, is nihil aliud quam naturalem hominem vidit. Unde sequeretur, etiam Patrem hominem esse. Sed Christus hic, ut antea quoq; monuimus ponit videre pro cognoscere, id est, animi oculis videre. Quid autem Apostoli in Christo cognoscere debebant, ex quo colligere potuissent, eum esse Deum Altissimum? Nihil aliud certe, quam divina ejus attributa: qualis erat ejus summa benignitas & amor, cum ardenti studio humane salutis flagravit; divina ejus sapientia, quæ in doctrina ejus eluxit; divina sanctitas, cujus exemplum perfectissimum in tota vita sua exhibuit; & divina omnipotentia, quam tot inaudita miracula ab eo patrata clare loquebantur. Hæc vero omnia nullum sufficiens argumentum præbent, quod Christus sit Deus Altissimus. Etenim de sua doctrina in qua divina bonitas ac sapientia conspicitur, ait ipsemet eam non suam, sed Patris sui doctrinam esse. Supra cap. 17. v. 16. Opera quoq; sua adscribit, non sibi ipsi, sed Patri suo, non tantum alibi, ut Matth. 12. v. 28. Luc. 11. v. 3. Joh. 5. v. 19. sed in hoc ipso capite v. 10. Ex sanctitate etiam vitæ ejus colligi nequit, eum esse Deum Altissimum: quia sanctitas ista nobis ad imitandum pro exemplo proponitur, neq; imitatu impossibilis est ei, qui eadem virtute Spiritus sancti, quo Christus præditus fuit, impletus fuerit. Quisquis igitur Christum bene novit, id est, doctrinam ejus exacte tenet,

omniaque ea pio & attento animo perpendit, quæ Deus circa Christum & per Christum fecit; is habet veram cognitionem Patris, qui est solus verus Deus, Joh. 17. v. 3, per quam consequi potest vitam æternam. Cognitio Patris in cognitione Christi continetur, & ex hac illa haberi potest: sicut cognitio rei vivæ ex cognitione imaginis ejus haberi solet. Hinc Christus imago Dei inconspicui vocatur Col. 1. v. 15. splendor gloriæ Dei & character substantiæ ejus Hebr. 1. v. 3. Non gloria ipsa, sed splendor & effulgentia gloriæ: non substantia ipsa, sed character substantiæ. Quæ omnia eatenus de Christo dicuntur, quatenus summa similitudo inter eum & Deum intercedit. Hoc autem de eo dici non posset, si ipse Deus Altissimus esset. Et ut sufficienter suam exprimeret hæresin, addit idem hypostaseos voce videri usum esse, ut tanto melius exprimeret, quid inter DEUM & Christum DEO alioquin simillimum & cum repræsentantem intersit. Christum nempe esse Characterem, DEUM autem esse ipsam hypostasin, adedque Patrem esse Deum hypostaticè, filium tantum esse characterem hypostaseos divinæ. Primum autem supra excussum est. Secundum tenebras offendit Lectori, aut enim Christus dicitur *Χαριτης* hypostaseos vel *ἑκτου* in eminenti significatione præmissis imperfectionibus, quæ aliàs *ἑκτου* adherere solent, aut dicitur *ἑκτου* vulgariter cum imperfectionibus, quæ comitantur *ἑκτου*, qualis sunt diversitas naturæ, imperfecta repræsentatio, dependens Esse & cætera. Si prius, admitti potest Filium esse *ἑκτου* patris, in quantum ipsum refert totum tota sua Essentiâ & proprietatibus, adedque sic erit character hypostaseos divinæ, ut & ipse sit Deus, ejusdem Essentiæ & Majestatis cum Patre. Si posterius, quomodo Filius incomparabiliter major erit Angelis, superior Spiritibus creatis, qui etiam *ἑκτου* Dei, figura hypostaseos patris, quibus ille suam Formam impressit, sic ut nobis ipsum Deum referrent Sapientiâ, Sanctitate, & potentia. Tertium nullius est momenti: Quid enim est extenuare Emphasis phrasæ, si hoc non est? Quid est rationem reddere, quæ Ratio non est, & supponere sua pro divinis, si hoc non est? quid est negligere ipsum Textum & piam Antiquitatem, si hoc non est? Annon Christus dicit. Qui me videt, videt Patrem: Quomodo igitur

igitur tu dicis, ostende nobis Patrem. Nonne credis, quod Ego in Patre sum, & Pater in me est? An non Hilarius lib. 9. de Trinitate apertè: Credendus est Pater in Filio, & Filius in Patre, per naturalitatem, per Virtutis potestatem, per honoris æqualitatem, per nativitatis generationem. Finge Filium dici characterem Patris, esse illum, quem si quis videt, patrem videt, propterea quod verba Dei loqueretur & annunciaverit nobis voluntatem divinam, non dicendus fuisset character hypostaseos, ipsam exhibens Patris Substantiam, sed Voluntatis divinæ, quam manifestaverit & revelarit, falsum autem idè hypostaseos voce usum esse Paulum, ut tanto melius exprimeret, quid inter Deum & Christum intersit, quasi sc. Seth non fuerit ejusdem Essentiz cum Adamo, aut etiam hypostasis, quia character hypostaseos adamiticæ, quasi verò essent opposita, quæ optimè conspirant.

C V I.

Quantum autem pro nostra Sententia roboris habeat Effatum, patebit, si expendamus quoque Vocabulum appositum *δδξης*. Non enim tantum Filius Dei dicitur *ἀπύγασμα*, sive Splendor, vel Effulgescentia, sed *δδξης*, sive Gloriæ & quidem notanter *τῆς δδξης*, ubi si Interpretes consulimus hoc vocabulum quidam exponunt de Gloria, sive Majestate gloriosa Dei, quæ est ipsa Essentia Dei majestatica & gloriosa: nec malè, verum si per illud intelligeremus ipsam Lucem, in idem conspiraremus, nec aliquid à textu alienum dicturos nos existimamus. Nam primò *ἀπύγασμα* dicit splendorem & Effulus escentiam, quæ non potest non præsupponere Lucem ex qua prodeat, Effulgescentia, enim Lucis est. Secundò per Gloriam intelligitur Majestas Dei Gloriosa, sive ipsa Essentia majestatica. At quid quæso Essentia divina gloriosa, nisi Lux ut supra ex Johanne demonstravimus. Tertiò in quo sese Pater gloriòse depinxit, nisi in Filio, nisi in Luce, de Luce, & qui commodius generatio illa eminentissima delineari potest, nisi sub Imagine Lucis generantis & genitrix, & si respexit Apostolus, ut quidam volunt ad locum, Sap. 7. *ψλ.* 26. habebimus hypostaticam Sapientiam, Filium Dei dicentem *ἀπύγασμα φωτὸς αἰδῆς* adedque quod volumus in terminis, nec repugnat vox, *δδξα*, quæ etiam alibi de Luce divina usurpatur,

tur: ita Lucæ 2. *ψ*. 9. dicitur quod *δόξα κυρίου* Gloria Domini circumfulserit pastores agentes excubias in campo. Adde Loca Lucæ 9. *ψ*. 31. Actor. 7. *ψ*. 2. 1. Cor. 15. *ψ*. 41. 2. Cor. 3. *ψ*. 7.

C V I I.

Firmant hæc tum *Patres*, tum *recentiores* ex nostris *Theologi*. Illi quidem, dum ad hanc generationem respiciunt & sub ratione processus Lucis, de Luce exponunt. Sic *Ruffinus* in *Symbolo* pag. 568. *Illud quoque dicendum est, quod nulla creatura talis esse potest, qualis Creator ejus. Et ideò dicit sine Exemplo est divina Substantia, ita sine Exemplo est divina Majestas. Tunc etiam illud addimus, quia omnis creatura ex nihilo est. Si ergò in substantiva scintilla, quæ Ignis est, ex se creaturam, quæ ex nihilo facta est, gignit, & in hoc conditionem servat originis suæ: cur illius æternæ Lucis Substantia, quæ semper fuit, quia insubstantivum in se nihil habuit, insubstantivum ex se splendorem proferre non potuit. Et ideò rectè unicuique dicitur Filius: Et Nazianzenus Oratione prima de Filio. Splendor Solis à Sole nascitur, est ejusdem cum Sole nature, simul cum Sole emergit, & Lucem Solis ad amissim exprimit: sic filius à Patre genitus ipse, ἐστὶν ἄδιον, καὶ ὁμοῖον τὸν ὄλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὴν. Hi verò, dum prælucent nobis, atque viam complanant. Graviter & nervosè noster Chemnitius in locis communibus parte 1. *Est δόξα, scribit, copiosa Lux, ut 2. Corinth. 3. ψ. 7. Exod. 34. ψ. 30. καὶ δόξης vultus Moysis legitur, & Luc. 11. ψ. 9. dicitur: δόξα Domini circumfulsit Pastores, ἀπαύγασμα est Refulgentia ex illa Luce, quia ἀπαύγασμα significat fulgorem, ut δόξα sit quasi fons Lucis in corpore Solis: ἀπαύγασμα verò splendor inde propagatus: Sicut radii sparguntur à Corpore Solis. Pariter argumentis instructus D. Gerhardus in Harmoniæ parte Tertia cap. 177. pag. 403.**

C V I I I.

Non satis convenienter itaque Menti Spiritus *Thomas de Aquino*, qui ad hanc periphrasin hæc adjicit: Considerandum, quod secundum Ambrosium Gloria est clara cum laude Notitia: quasi quædam manifesta Notitia, quæ de Bonitate alicujus habetur. Sed sicut dicitur Matth. 10. nemo bonus, nisi solus Deus, & etiam Luc. 18. Unde ipse est Bonitas antomonasticè & per Essentiam.

tiam, alia verò per participationem, ita soli Deo Gloria convenit antonomasticè Esaïæ 42. Gloriam meam alteri non dabo, 1. Timoth. 1. Regi autem seculorum immortalì, invisibili soli Deo honor & Gloria, id est clara cum laude notitia Bonitatis divinæ. Ista aliquàlter habetur ab homine, quia nunc cognosco ex parte 1. Cor. 13. sed habetur excellentius ab Angelis, sed à solo Deo perfectè. Deum enim nemo vidit unquam Joh. 1. verum est, nec angeli comprehensivè: Sed ipse solus seipsum comprehendit. Ergò sola cognitio Dei de seipso perfectè dicitur Gloria, quoniam perfectam notitiam habet & clarissimam de seipso. Quoniam autem Splendor est illud, quod à fulgente primo emittitur. Sapiëntia verò est quoddam fulgens Ecclesiast. 8. Sapiëntiæ hominis lucet in Vultu ejus. Inde est, quod prima conceptio Sapiëntiæ, est quasi quidam Splendor. Verbum ergò Patris, quod est quidam conceptus Intellectus ejus est splendor sapiëntiæ, quæ se cognoscit & idè Apostolus filium vocat splendorem Gloriæ, id est, divinæ clara notitiæ, in quo ostendit ipsum non solum sapiëntem, sed Sapiëntiam gemitam Esaïæ 62. Donis egrediatur ut Splendor justus ejus.

C I X.

Non conformiter secundò ex Calvinianis *Streso* in hunc Titulum: Christus est Fulgor Gloriæ divinæ. Est similitudo desumpta à facie & speculo, quæ nobis describit Christum, qualis erat, cum in Mundo versaretur. Tunc certè erat speculum in quo fulgebat & repræsentabatur Gloria & Majestas Dei. Humana Natura Christi erat splendidissima fulgore divinitatis, tum in verbis, tum in Operibus, adèd ut corporalibus oculis & auribus plus quid, quam humanum in homine hoc percipi posset. Sicut ex forma faciei, quæ splendet in speculo rectè concluditur, quod vera quædam humana facies speculo sit propinqua: sicut ex splendore Lucernæ certo concluditur, quod in ista Lucerna sit verum Lumen, veraque Caudela, ita ex divino splendore Humanitatis Christi, certè concludebatur ipsum verum Deum esse, loqui, agere & habitare in Carne Christi. Vide Joh. 1. vs. 14. sic igitur hoc Membro describitur personalis unio duarum naturarum in Christo. Sicut enim ex Sapiëntibus & potentibus operibus corporis humani sine Errore concluditur, quod in illo Corpore habitet rationalis & spiritualis Anima, eique personali-
ter

ter unita sit, ita ex divinis & planè supernaturalibus verbis, Doctrina, & operibus humanæ Naturæ Christi certissimè concludebant spectatores & auditores illius, quod in isto Homine Christi, ipsa Deitas corporaliter habitaret. Viderant divina verba & opera in Prophetis & inde concluderunt Deum esse cum ipsis. Verum hoc etiam impii concludebant de Christo, Joh. 3. v. 2. & 9. cap. 16. v. 33. sed quibus erat oculus fidei, illi Christi Dogmata & Opera audientes & videntes ipsam Dei personalem sc. habitationem in hoc homine concludebant. Vide Joh. 6. v. 68. 69. 2. Petr. 1. v. 16. Erant spectatores miraculorum, testimoniorum divinitus exhibitorum, Auditores Doctrinæ. Hoc sensu & respectu Christus vocatur Imago Dei invisibilis, visibilis sc. imago Dei, quia Deitas in Humanitate Christi non pingitur, sed re ipsa præsens coruscet, atque splendet. Scio quod etiam ipsa Christi Deitas rectè possit appellari ἀπαύγασμα Patris, cum sit Deus ex Deo, Lumen ex Lumine; sed tamen huic loco optimè convenit per ἀπαύγασμα δόξης Θεῶν intelligere claram manifestationem Deitatis in corpore. Huc refero etiam illud Apocal. 22. v. 16.

C X.

Denique tertio non orthodoxè Hugo Grotius cui placuit, ita circumscribere verba Apostolica. Repercussus divinæ Majestatis, qualis est Solis in Nube, qui dicitur περιηλιθ. ΝΕΜΥ hic Syro, id est Germen, non male. Sic locum Esaiæ 4. ubi eadem vox, Jonathan de Messia accepit: Sic Sapientia dicitur ἀπαύγασμα φωτός αἰδῆς Sap. 7. v. 6. Clemens Romanus qui totum prope hunc locum descripsit, pro ἀπαύγασμα τῆς δόξης posuit, ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αἰσῆς. Sunt qui alludi putant ad Irin, argumento ducto de loco Ezech. 1. v. 28. Zach. 2. v. 3. ubi dicta vide. Etiam Rabbi Salomon Barjochai Irin ad Messiam refert, quo fortè & respicit Apocal. 4. v. 3. Δόξα Κυρίου aut כבודו Majestas divina. Ea cum per se conspici nequeat, cernitur in Christo, sicut Sol, quem directè Oculi nostri tueri nequeunt, cernitur in aqua, speculo, Nube, 2. Cor. 4. v. 4. Colofs. 1. v. 15. adde & 1. v. 13. Lucianus Martyr Ἰσῆς ὁ Θεῶν, ἑστῆς καὶ βαλῆς, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης Θεῶν ἀπεράλλαντος εἰκῶν.

C X I.

C X I.

Quoniam autem Modus Generationis sit rationi nostræ imperveſtigabilis, ex veſtigiiis tamen in Scriptura ſignatis ad aliquam illius notitiam nos perſtingere poſſe exiſtimamus. Cum enim Filius Dei dicitur & ſplendor Gloriæ divinæ colligimus: *Primò* Generationem hanc eſſe ſubſtantialem. Radius enim & fulgor à Luce procedens eſt ſubſtantia emanans à Subſtantia: unde Tertullianus in Apologetico cap. 21. etiam cum Radius ex Sole porrigitur, portio ex ſumma: ſed Sol erit in radio, quia ſolis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur. Ita de ſpiritu ſpiritus, & de Deo Deus, ut Lumen de Lumine accenſum manet, integra & indefeſta Materia nutrix, eſt plures in traduces qualitatum mutueris: Ita quod de Deo perfectum eſt, Deus eſt & Dei Filius & unus ambo, ita de ſpiritu ſpiritus & de Deo Deus, modulo alterum Numerum non gradu, ſed ſtatu fecit & à Matrice non reſceſſit, ſed exceſſit. *Secundo* eſſe ſpiritualem, omnem corpoream transcendere conditionem. Si enim aliquid in univerſo, quod naturam ſpiritus imitatur, ſi generatio, quæ productionem ſpiritualem & deſæcatam à corpulentia exprimit, ſanè illud eſt Lux & ab illa dimanatio Luminis. Unde *Leontius* Episcopus Cæſareæ Cappadociæ contra Phædonem Philoſophum Chriſtianum in Concilio Nicæno: *Age inquit, dum ſi videtur, per ſimilitudinis, quamvis infirmioris, accipe bona documenta. Verbum tuum eſt & cuius vis hominis prolatitium eſt, gignitur autem inſecabiliter, & ex Mente, quemadmodum Spiritus tuus procedit ex te, neq; autem verbum tuum, neq; Spiritum tuum a te alienum eſſe dixeris.* *Tertiò* Generationem hanc eſſe naturalem, immutabilem, æternamque. Lumen naturaliter emanat à Luce, neque immutationem quandam dicit, niſi in eo, in quo apparet, ex. gr. aëre vel alio corpore diaphano & quamprimum Lux exiſtit, de ſe Lumen fundit, nec temporis Momento hæc unquam ſunt diſcreta. Paria concipe in productione Filii, proceſſu Luminis de Lumine. Unde etiam *Athanaſius*: *Quis auſus fuerit dicere, ſplendorem externum quiddam eſſe à Sole, eiſque diſſimile? aut quis non potius ſimul intuens ſplendorem cum Sole, & eandem in utraq; Lucem non audacter loquatur, Lucem & ſplendorem unum eſſe & hunc illa repræſentari, & ſplendorem ita Solem*

lem esse, ut qui hunc videat, etiam illum intueatur? Nec non Ambrosius de Fide lib. 4. cap. 4. Ipsa etenim quæ temporalia sunt, discretionem in quibusdam habere temporis non videntur. Lux nempe splendorem generat, nec comprehendi potest, quod splendor Luce posterior sit, aut Lux splendore antiquior, quia ubi Lumen & splendor est, & ubi splendor & Lumen est. Itaque nec sine splendore Lumen, nec splendor potest esse sine Lumine. Justinus in Expositione Fidei ἢ κατὰ τμήν, ἢ πρῶτον, ἢ διὰ τὸν ἕκαστον & Φωτὸς ἢ ἐκλαμψίς γίνεται, ἀλλ' ἐν τῆς ὑπόστασι αὐτῆς ἀπαθῶς ὡς ἐστὶν ἕκαστος
 Finimus itaque in verbis Augustini Tomo VI. de quinque Hæresibus cap. 6. Ecce Ignis & Splendor duo sunt. Alter ex altero, nec sine altero alter est. Ignis Pater, Splendor Filius. Coævi sunt Pater & Filius, Splendor & Ignis: Non Ignis sine Splendore, nec Splendor sine Igne. Aut certè si placuit, mitte manum, divide alterum ex altero: ostende mihi Ignem sine splendore vel splendorem sine Igne, ardere & tantummodo poteris, separare alterum ab altero non poteris. Sic enim Ignis & splendor alter ex altero est, ut esse alter sine altero non possit.

C X I I.

Plura possent, quæ ad rationem appellationis faciunt, cur sc. Filius Dei dicitur sit à Paulo ἀπειράσµα τῆς δόξης, & quomodo non tantum Nature Identitas, attributorum divinorum, Communitas, Generationisq; Sublimitas hac locutione insinuetur, sed & quomodo illi conveniat ratione representationis adduci. Verum cum hæc sufficiant pro instituto nostro, nec longius excurrere datum nobis, qui scopum nostrum sumus consecuti & superfit Materia pertractanda, itaque in hoc subsistimus & in simul ad illud quod superest, punctum Deo favente & benedicente pergamus.

C X I I I.

Illud tantum annotamus Deum passim in Scriptura, secundum Varietatem Attributorum, Operum & Symbolorum sub Imagine Ignis & Lucis nobis depingi. Ita Deus ex Ira in Scriptura Ignis vocatur, Deut. 4. v. 24. cap. 9. v. 3. & cap. 32. v. 22. Job. 15. v. 34. Psalm. 18. v. 9. Psal. 21. v. 10. Psal. 74. v. 1. Psalm. 80. v. 5. Esaiæ 10. v. 17. cap. 66. v. 15. 16. Jer. 4. v. 4. Ezech. 21. v. 31. Osee 8. v. 14. Joël. 1. v. 19. & 20. Amos. 1. v. 1.

1. *ψ*. 4. 7. 10. 12. 14. Zeph. 1. *ψ*. 18. Zach. 11. *ψ*. 1. ex protectione dicitur Murus igneus Zach. 2. *ψ*. 5. in Symbolo quoque Ignis sese manifestavit, descendens in Montem Sinai Legem promulgaturus, Exod. 19. *ψ*. 13. cap. 20. *ψ*. 17. Deut. 4. *ψ*. 11. &c. & cap. 5. *ψ*. 22. 23. 24. 25. cum describeretur in holocausta, Levitic. 9. *ψ*. 24. cum sese vindicaret & gloriam suam manifestaret adversus Baalim 1. Reg. 18. *ψ*. 38. & 1. Reg. 19. *ψ*. 12. cum futura vellet, signare & Gratiam suam renovare, Gen. 15. *ψ*. 17. Exod. 3. *ψ*. 2. cum Ezechieli, mandata daret denunciandi notabiles Judæis Calamitates, Ezech. 2. *ψ*. 4. cum Judicium institueret. Dan. 7. *ψ*. 9. Ita Favor & Benevolentia divina sub Nomine Lucis nobis in scriptura exhibetur. Unde dicitur attollere Lucem faciei suæ, Numer. 6. *ψ*. 26. Psalm. 4. *ψ*. 7. Pf. 31. *ψ*. 17. Pfal. 67. *ψ*. 2. & So. *ψ*. 4. 8. 20. Psalm. 119. *ψ*. 135. Ita David dicit: Tu es Lucerna mea Domine 2. Sam. 22. *ψ*. 29. sic Jobus commendat Favorem Dei sibi induisse super se, cum gauderet divina Benignitate docet, cap. 29. *ψ*. 3. adde Majestatis descriptionem, quam habet Habacuk capite tertio, versiculo septimo octavo, nono, decimo, undecimo, quæ ita se habet: Deus ab austro veniet & sanctus de Monte Pharan Selah. Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra. Splendor ejus, ut Lux erit: Cornua in Manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus. In quæ verba Christophorus Castrus Complutensis, dein Salmanticensis professor Theologus, ita commentatus est. Chaldeus, Vatablus, Montanus, Isidorus & Jasenius de Majestate & Gloria, quæ apparuit in Monte Sinai exponunt. Nam Gloria & Laus in Scriptura ea omnia significant signa, quibus Dei presentia hominibus manifestatur, ut Exod. 24. *ψ*. 17. Erat Species Gloriæ Domini, quasi Ignis ardens super Verticem Montis in Conspectu filiorum Israël. Fulgura siquidem tonitrua & splendor, quibus se presentem ostendit Deus, Cælos operire dicebantur, & quia admirandus populus Dei nomen laudibus extollebat, dicit terram laudibus completam. Albertus Hugo & Lyra de Cyri Gloria, aut Dei potius & laude per orbem dissipata ob Excidium Babyloniorum per Medos & persas factum, Sancti de Christo explicant. Hieronymus quidem & Haymo de Gloria, quam cecinerunt Angeli nascenti Christo: Gloria in Altissimis

Deo. Eusebius Theodoretus, & alii intelligunt de Christi Doctrina & miraculis, quibus gloriosus factus est Christus in universa terra. Tum & Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 32. nam Doctrina Christi, nec obscura fuit, nec ænigmati operata, ut vetus illa; nec uni populo, sed universo enunciata Mundo. Theophrastus de Christo explicuit, Cælos ascendente. Hinc enim uberius terra cognovit Deum, & porrò. Splendor ejus, cum relativum ejus referat Deum, quem dixerunt ab Austro venisse, & gloriâ suâ Cælos cooperuisse; necessariò de eo mihi hoc accipi debet, splenduisse in Monte Sinai Luce fulgentissimâ. Cornua in manibus ejus, ait ut est in Hebræo: Cornua de Manu ejus erant ei; hoc est de Manu ipsius emicabant radii splendidissimi, propterea quod dicitur, Deuter. 32. in dextra ejus ignea Lux, vel à dextera ejus Ignis Lex eis. Nam ob splendores eminus ejaculatos & flammâs pyramidales, & tortuosas Lex à dextera Dei Cornua producere dicta est. Ita explicat Montanus: Sed de Moje cornutam faciem habente intelligunt Vatab. Isidorus, & Jansenius, nam ex Hebræo sic leguntur illa verba. Cornua, seu, splendores de manu ejus fuerunt ipsi; nempe Moji, quia facies ejus ex consortio sermonis Domini cornuta facta est, ut habetur. Exod. 34. v. 19. Sed certè hæc omnia prænominata, & sequentia Deum referunt, non Mosem. Sunt qui per cornua è Dei manu, seu potentia prodeuntia, intelligant mortem, & diabolum, quibus quasi cornibus viam populo suo inter adversos hostes aperiebat: à feris sumpta metaphora, juxta illud Deuter. 33. v. 17. cornua Rhinocerotis cornua ejus, in ipsis ventilabit gentes, ac de his mox dicet; ante faciem ejus ibit mors, & diabolus egredietur ante pedes ejus. Albertus, & Hugo exponunt de Cyro, & Dario, quibus quasi cornibus, Deus Chaldaeos ventilavit; vel cornua regna fortia in manu Cyri, vel certè arcum cornibus circumflexum. De Christi cruce accepit Cyprianus lib. 2. Contra Judæos cap. 21. & sermone de Passione Domini. Nam cornua crucis fuere in manibus Christi; aut per bysterologiam, manus ejus fuere in cornibus crucis. At Eusebius lib. 6. de Demonstr. cap. 15. Hieron. & Augustinus loco dicto, Rupertus, Haymo, de crucis trophæis, & vexillis, quibus de potestatibus invisibilibus triumphavit Christus, intelligunt. Regnum etiam Christi intelligit Euse-

Eusebius, quod dat cui vult. Hebraicè, ibi abscondio, tentorium, seu latibulum fortitudinis ejus. Adverbium, ibi; refert omnem illam lucem, fulgura, fumum, & nebulam, in quibus quasi in tentorio, absconditus Deus sese ostendebat, & suam inde virtutem, & majestatem exerebat. Sic Chaldaeus, Vatab. Montanus, & Rob. quia latentem suam virtutem manifestabat illis signis. Alii sic declarant. Exinde apud Israëlem fuit reposita Dei fortitudo, ut mira inter ipsos operaretur. Vel ibi, id est, per illa cornua, Dei fortitudo abscondita se exerebat in hostes. Qui de Cyro explicat Albertus, sic ait; in Cyro erat Dei fortitudo abscondita. Vel ut Hugo, coram Cyro Chaldaeorum fortitudo erat abscondita. Sancti de Christo optimè explanant, in cujus cruce, & passione infirmitas humanitatis manifestabatur, dum diceret, tristis est anima mea usque ad mortem, & Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Sed ibi abscondita est fortitudo ejus, dum Solem, & Lunam obscuraret, & saxa concuteret, & cetera. LXX. hic legunt, & posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ. Quo innuitur, secundum Theodoretum, & Theophylactum, dum impendit animam suam pro nobis, fortem suam erga nos dilectionem demonstrasse, non ex imbecillitate, sed ex robore; quia non ut imbecillis passus est, sed spontaneus, qui uti bonus pastor posuit pro suis ovibus animam suam. Hieronymus aliter. Ideò pater posuit cornua, id est, regnum cælorum in manu filii sui, ut induceret homines ad dilectionem dilecti sui, non leviter, sed in virtute; omnia enim dedit ei Pater in manus, ut qui omnia habere desideramus, omnium largitorem diligentes promereamus. De tota autem Exegefi. ex hæcenus disputatis facile potest à solerti Lectore fieri Judicium, adde illud Apocal. 1. v. 5.

C I V.

Imò si liceret ad Gentiles excurrere Deum & attributa illius sub Igne figuratum ostendere in proclivi foret. Zoroaster cum Platonicis Deum dixit. Ignem primum vitiferum ex quo Ignem Siderei, omniaque alia sunt genita. De Assyriis hæc habet Macrobius, lib. 1. Sat. cap. 23. Accipe quid Assyrii de Solis potentia opinentur. Deo quem summum, maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis Interpretatio significat unus.

Hunc ergò ut potentissimum adorant Deum; sed subjungunt eadem Deum Nomine Adargatim; omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes. Simulacrum Adad insigne cernitur radiis inclinatis, quibus monstratur vim Cœli in radiis esse Solis, qui demittuntur in terram: Adargatis simulacrum sursum versus reclinatis radiis insigne est; monstrando radorum vi supernè missorum enasci, quæ cum terrâ progenerat. Persas Deum sub Igne & Mithræ nomine coluisse in vulgus notum est: testantur de eo *Strabo Geographia* lib. 15. *Curtius* lib. 4. *Hist.* Gruterus in Volumine Inscriptionum: Inscriptiones verò varias invenies apud veteres, quales illæ: *Deo Soli Inviçto Mithræ: Sancto Inviçto Mithræ: Soli Inviçto Mithræ: Omnipotenti Deo Mithræ: Inviçto Mithræ: & Equum sacrificari solitum non tantum Xenophon* testatur, sed & *Ovidius* lib. 1. *Fastor.* *Placat Equo Persis radiis Hyperiona cinctum, ne detur celeri victima tarda Deo. Ægyptii & Æthiopes Solem venerati sunt & diversis nominibus Deum insigniverunt, nec alius fuit Apollo, nisi Deus in Lucis Imaginem.* *Statius* Poëta ita canit:

— *Seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemonia ritu, seu præstat Osirim
Frugiferum, seu Persæi sub nubibus antri
Indignata sequi torquentem Cornua Mithram.*

C X V.

Breviter addemus aliquid de Lucis, sive etiam Ignis Operationibus & Effectis. Tribuitur in Scriptura Luci, quod dirigat & ducat ter facientes, *Job.* 22. *ps.* 28. & *Thren.* 3. *ps.* 2. quod illustret *Proverb.* 4. *ps.* 18. quod calefaciat, consumat, *Lucæ* 22. *ps.* 56. *Joël.* 2. *ps.* 3. quod purget atque emundet, *Numer.* 31. *ps.* 23. quod aurum & argentum probet, *Psal.* 12. *ps.* 7. quod examinet: *Levit.* 10. *ps.* 2. At omnia hæc quoque enunciantur de Deo, omnes hæc Operationes illi tribuuntur, omnes & singuli hi Effectus eidem adscribuntur. Ipse enim dirigit pedes nostros, & ducit nos *Psal.* 27. *ps.* 1. *Luc.* 2. *ps.* 78. 79. ipse illustrat & manifestat occulta cordium, unde *David*, *Psal.* 13. *ps.* 4. *Paulus* *Eph.* 1. *ps.* 17. 18. & *1. Cor.* 4. *ps.* 5. Ipse calefacit & consumit, *Luc.* 24. *ps.* 32. *Psal.* 78. *ps.* 63. Ipse purgat & emundat,

dat, Jerem. 33. v. 8. ipse suos probat, ut aurum & argentum in Catino crucis & tribulationis, Esaïæ 48. v. 10. Malach. 3. v. 3. & Sap. 3. v. 6. tandem etiam examinat, Psalm. 58. v. 10. Deuter. 29. v. 20. ad quem postremum locum hic notant Interpretes: Passim sacra Scriptura ita iram & furorem naso adscribit, ut in eo potissimum residere, vel ex ejus habitu iracundiam velit colligi, eousque ut eadem voce *נאס* *aph nasum* & iram significet: Unde quod Hieronymus Proverb. 30. v. ult. reddidit *provocare iras*, Septuaginta verterunt *ἐκπέσειν μύκτες*, *exprimere nares*. Ex nasi quidem fumo & densa expiratione sumpta locutio illa 2. Reg. 22. v. 9. *Ascendit fumus de naribus ejus*, quod de Deo item per anthropopathiam dicitur. Esaïæ 2. v. ult. *Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est*, quod de Christo judice est. Ex nasi habitu sumpta illa cum *DEUS* *אֵסִי אֶרֶב* *erech appajim*, *longus naribus* dicitur, quo significari vult Scriptura, Deum patientem, & ad iram tardum esse: contra verò cum impatientem & iracundum indicare vult, *אֵסִי קָצָר* *ketsar appajim*, *angustum naribus* appellat. Non absimilia legas apud Auctores profanos, siquidem perspicue Theocritus Idyllio 1. de Pane iracundo loquens, iræ sedem in naso collocat:

Καὶ ἐν αἰεὶ δερμῆα χολὰ πρὸ ῥινὸς κάθηται.

Et ipsi semper acris bilis in nare sedet.

Perfius Satyra 5.

Disce, sed ira cadat naso, rugosaque fanna.

Adde & Plautinum illud: *Fames & mora bilem in nasum conciant.* Est & apud nonnullos Proverbium illud in ore, *Morosos & iracundos non gerere sinceræ nares.*

A fumosis vaporibus & eorum exsufflatione sumptum illud Martialis l. 6. Epigram. 64.

— *Rabido nec perditus ore*

Fumantem nasum vivi tentaveris urfi.

Seipsum videlicet Poëta sub urfi iracundi animalis nomine intelligit, qui alterum monet ne ab ipso ad iram provocetur, aliàs futurum ut ei non sit impune. Huc etiam pertinet illud Virgilii de equo generoso lib. Georgicôn 3.


Stare


*Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.*


Eodem referri potest illud Plauti in Bacchidibus de milite irato: *Sufflatus ille huc veniet.* Ex habitu nasi physiognomici inclinationem ad iracundiam colligunt, ut observavit Joannes Meursius in Spicilegio ad superiorem Theocriti locum, indicatque Polemon Physiognomicus verbis illis: *Ἐνδὲ τὸ ἄκρον λεπτὸν ἰσώρονον. Πηχέτη δ' ἀνδρὸς τῶν ἀργῶν σημαίνει: Si naris extremitas gracilis existat, frequentem esse viri iram significat.* Sic & Adamantius iisdem propè verbis Physiognomicon lib. II. *Ἐνδὲ τὸ ἄκρον λεπτὸν ἐπαύξην δ' ἀργῶν σημαίνει. Naris extremitas tenuis copiosam esse iram significat.* De his ira in habitu, seu propensione ad iram loquitur; de his enim physiognomici loqui solent. Quæ omnia superioribus illis Scripturæ in Hebræo loquendi formulis perspicuè respondent.


C X V I.


Observarunt hoc quoque Patres Ecclesiæ *Augustinus contra Adiamantum cap. 13. Ipse Deus scribit est Ignis edax: Consumit enim veterem vitam divinus Amor & innovat hominem: ut ex eo, quod Deus Ignis est edax, faciat, ut eum nos amemus: ex eo autem quod Deus Zelans, ipse nos amet. Nolite ergo timere Ignem, qui est Deus: sed timete Ignem, quem paravit hereticis Deus.* *Basilius ad locum Esaiæ 10. scribit: Deum esse Ignem lustrativum & purgatorium, habereque φύσιν καθαρτικὴν.* *Gregorius Magnus Homilia 5. in Ezech. Deus inquit: Ignis consumens est: quia Mentem quam repleverit, à peccatorum Rubigine puram reddit.* Addamus illud, quod Athanasius respondet: Quod ad Græcos respondemus, quod non idè adoramus ad Orientem, quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus habitet; sed quia Deus Lux est vera diciturque, eam ob causam ad creatum istud lumen conversi, non illud quod creatum est lumen, sed ejus luminis creatorem adoramus, & ex elemento omnium splendidissimo, omnium elementorum splendidissimum Creatorem Deum vsneramus. Audiant vero fideles & discant, quod sancti Apostoli Christianorum Ecclesias idè jusserunt Orientem versus suas fundere preces, ut ad Paradisum, unde excideramus, respicientes, simpliciter à Deo petamus & à nostro Domino, ut in antiquam nos patriam & locum, unde excidimus, restituere velit.











Aduersus Montanum.

um sanè Concilium est & antiquissimis forme, quod more suo Ecclesia Romana ac celebrat: quod in cōp à Pontifice Romanus tur, habetur à Præsulibus, aut his qui iure consuetudine diutissimè seruata, interesse ent, & suffragia deferre, de doctrina fidei, ecclesiæ, uel pacè inter Principes Christianas. Quodcunq; ab hoc discrepauerit, Eccl n solet Concilium appellare, sed Sathanæ Concilium malignantium, Conciliabus um mente perditorum.

*ut olim fidei do-
templi templi h
paucaq; fulta
Romana*

um prouehor?

recipitem egit extra te ipsum amentia aut dicendi, ut quo proueharis, nescias. Recipe

MON.
GASP.

*olui graues ob causas profectioe Triden-
ersedendum esse: quod si perfecti, dicendi
us sum. Superest, ut uelis collectis, nauem in
cam.*

MON.

nile perfecisti, neq; perficere unq; poteris, ni uersa colluuias hæreticorum suppetias estat, nisi ut ad te redeas, in te descendas, tisper habites. Cogites, unde excideris, & Ecclesiæ Romanæ charissimæ eius tare debeas. Ego non dubito, quin si te, atq; id animo feceris ueritatem explo- tendiq;, facile tibi Spiritus sanctus eam

GASP.

X iij mentem